

mium Rescripto, sustulit, venerabatur Antiquitas, ut res territorii pacarent, pacisque observantes, id agerent, quo, imperatore in Codice docente, ad provinciarum tutelam, quietis & pacis, per singula territoria, concordia staret. Dimicandum quandoque est, pacis vel maxime studiosis; At enim paci simul litandum, inter medios quasi armorum strepitus. *Στρατηγὸς τῆς εἰρήνης* antiquiora tempora norunt, tametsi ante Domitiani aevum, ne quidem *στρατηγῶν*, nedum *τῆς εἰρήνης στρατηγῶν* vox, fuerit in usu. Vaillantius & illustris Spanhemius vestigia horum in numis ostendunt, eosdemque ad politica munia, pacisque tempora, remittunt. De *στρατηγοῖς εἰρήνης* speciatim plura non memorabo, a Reinesio, difficili labore, ex inscriptione quadam productis, forteque cum Atheniensium *στρατηγοῖς τῆς πόλεως* comparandis: Id saltem dicere volebam, de *στρατηγοῖς τῆς εἰρήνης* in Civitate DEI, Bellatoribus quasi Domini, paci simul intentis, ac tranquillitate, quae medios inter Ecclesiae militantis insultus vigere utique possit, me temporum gnarum, in aptissimo hoc dicendi loco, paulo copiosius, vobis, Auditores, non omnino repugnantibus, nunc dicere posse. Non mihi video rem esse, ut Riveti, Professionem publicam inchoantis, modestiam imiter, cum vulgi multitudine, quam patria dialecto, stilo simplici & usitato ad

C

pieta-